

P R A E S I D E D^o FRANCISCO
Emerico, medicinæ Doctore præstantissimo,
Ioannes Schröter Vinariensis has sequen-
tes positiones defendit, die 8. Au-
gusti Ann. 1550.

V. MORBI, QVI EX REPLETIONE FIVNT,
EVACVATIONE CVRARI POSSINT.

I.

Cùm in Medicina contraria contrarijs currentur, ponim
mus repletionem siue plenitudinem per euacuantiā tol-
lendam esse.

II.

Plenitudo autem duplex est, Altera vasorum, altera
virtutis.

III.

Vasorum, quando vasa humoribus redundant, adeò ut
distendantur.

IV.

Virtutis plenitudo tantum ad virtutem siue naturam,
quæ corpora gubernat, refertur, etiam si vasa non disten-
dantur.

V.

Fit enim tum humores inficiendo, tum in membra im-
becilliora fluxionem immittendo.

VI.

Cacochymia, que est succi prauitas, non propriè ad ple-
nitudinem vasorum pertinet: non enim vasa extendit,
nec tumorem, nec grauitatem inducit, sed ad plenitudi-
nem, quo ad vires, quia virtutem prosternit.

VII.

*Videndum autem est diligenter, quibus euacuationibus
in plenitudine vtendum est. Vasorum enim inanitio si
talis fiat, qualis fieri debet, confert & benè tolerant.*

VIII.

*Alia etenim venæ incisione, alia alui deductione, alia
aliter fit.*

IX.

In plethora vtilius per emissionem sanguinis fit euacuatio.

X.

In cacochymia per alui purgationem.

XI.

*Indicatio autem quantitatis ex morbo & viribus ægro-
tantis sumenda est.*

XII.

*Sæpe tamen eam, quæ ex morbo animaduertitur, corri-
git alia ex viribus ægrotantis sumta.*

XIII.

*Si vero utræque coincidunt, faciendum est sine mora id
quod indicant.*

Conclusio.

*Eruditè itaque Hippo. inquit: Quicunque morbi ex re-
pletione fiunt, curat euacuatio.*

V. IN PRINCIPIO MORBI CVRATIONEM
A FORTIORIBVS INCIPERE LICEAT.

I.

*Emperici grauiter errant, qui in principio morbi cura-
tionem à fortioribus incoant, vt febrium curationem à
forti*

fortilaxatio, obstrunctiones à fortissimis aperitiuis.

II.

Vt sudor in principio paroxismi malum motum materiae indicat, ita pharmaco materia ab initio mota malemoveatur.

III.

Nam cùm succi adbuc sunt crudi, & ad motum pigri & inepti, moti autem in angustijs vijs impacti obstrunctiones excitant, vnde agitatur tantum materia, & non evacuatur.

III.

Semper autem in euacuationibus, quæ fiunt per aluum à leuioribus incipiendum est.

V.

Concocta sunt medicanda, cruda non mouenda.

VI.

Corpora quæ purgare volueris, prius fluida sunt facienda.

VII.

In magnis tamen morbis statim à principio euacuatione vtendum est.

VIII.

In ijs præsertim, in quibus materia turget, aut nulla indicatio expectatur, sed mox ad summum vigorem perueniunt.

IX.

Sic enim disertè Hippo. dixit: Extremis morbis extre-
mè exquista remedia optima sunt.

Conclusio.

Non itaque in principio morbi à fortioribus incipiendū est, nisi summa necessitas exigat.

PRO